



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. XXXII. Illecebra odorum se non nimis tangi; sæpe tamen occultos affectus per experientiam manifestari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

In vit.  
c. 22.

III. Invitat exemplo S. Pauli, imo & suo, domabat enim gulam jejuniis frequentibus, ut hic testatur. *Mensa autem utebatur frugali & parca, qua inter olera & legumina, aliquando carnes propter hospites, vel quosque infirmiores continebat, uti refert Possid.*

2. Difficillimum est mensuram necessitatis, in cibo & potu invenire ac tenere. S. D. etsi fateatur consilium sibi hac de re nondum stetisse, aliqua tamen ejus reperiendæ media suggerit. I. Jejunium, & reliquam corporis mortificationem. II. Tentationum gulæ, cum ea appetitum allicit, quotidianam repressionem. III. Orationem, & divini auxilii ardentem implorationem. S. Ignatius in libello *Exercitationum* utiles aliquot regulas tradidit, ad Victum recte temperandum, & mensuram naturæ debitam inveniendam.
3. Gula non solum reprimenda est in cibis delicatioribus, sed vilioribus quoque, quod S. D. eorum exemplis suadet, qui immoderato lenticulæ, aut aquæ usu deliquerunt.

## C A P. XXXII.

*Illecebra odorum se non nimis tangi, sæpe tamen occultos affectus per experientiam manifestari.*

1. **D**E illecebra odorum, non fatago nimis. Cum absunt, non requiro: cum adsunt, non respuo, paratus etiam eis semper carere. Ita mihi videor; forsitan fallor. Sunt enim & istæ plangendæ tenebræ, in quibus me latet facultas mea, quæ in me est: ut animus meus de viribus suis ipse se interrogans, non facile sibi credendum existimet: quia & quod nunc inest, plerunque occultum est, nisi experientia manifestetur. Et nemo securus esse debet in ista vita, quæ  
Iob. 1, 1. *tota tentatio nominatur: utrum qui fieri potuit*

tuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. Vna spes, una fiducia, una firma promissio, misericordia tua.

## V S V S.

Verissimum est, quod S. D. hic deplorat, neminem sibi facile credere debere, sæpe enim latet occultum vitium, quod experientia manifestat. Multi se sobrios, patientes, humiles putant, qui, ubi occasio adest, intemperantissimi, furiosi, superbi deprehenduntur.

## CAP. XXXIII.

*Sacras melodias in Ecclesia potius approbandas quam improbandas, se tamen pœnaliter peccare, quoties magis cantu movetur, quam re, qua canitur.*

1. **V**oluptates aurium tenacius me implicaverant, & subjugaverant; sed resolvisti, & liberaisti me. Nunc in sonis, quos animant eloquia tua, cum suavi & artificiosa voce cantantur, fateor, aliquantulum acquiesco: non quidem ut hæream, sed ut surgam, cum volo. Attamen, cum ipsis sententiis, quibus vivunt, ut admittantur ad me, quærunt in corde meo nonnullius dignitatis locum, & vix eis præbeo congruentem. Aliquando enim plus mihi videor honoris eis tribuere quam decet, cum ipsis sanctis dictis, religiosius & ardentius sentio moveri animos nostros in flammam pietatis, cum ita cantantur, quam si non ita cantarentur: & omnes affectus spiritus nostri, pro sui diversitate, habere proprios modos in voce atque cantu, quorum nescio qua occulta familiaritate excitentur.